



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Die 6. Ianvarii. In Epiphania Domini. De Christo Rege à Magis adorato cum
oblatis muneribus. Non nisi tribus oblatis concupiscentiis Rex Christus re
agnoscitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194



DIE VI. JANUARII, IN EPIPHANIA DOMINI.

DE CHRISTO REGE A MAGIS
ADORATO, CVM OBLATIS MVNERIBVS.

*Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria
Matre eius, & procidentes adoraverunt Eum; &
apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera,
aurum, thus, & myrrham. Matth. 2.*

VERITAS PRACTICA.

Non nisi tribus oblati Concupiscentiis, Rex
Christus, re agnoscitur.

RATIO EST, Quia Rex Christus re non ag-
noscitur, nisi re ipsa te illi regendum praebeas.
Sed non nisi tribus oblati Concupiscentiis, re ipsa
te illi regendum praebeas.
Ergo nec aliter Rex Christus re agnoscitur. Quod
certè est in primis agnoscendum.

I. PUNCTUM.



IC pergit Evangelista
de Magis: Qui cum audis-
sent Regem, abierunt; Et
ecce stella quam viderant
in Oriente, antecedebat eos
usque dum veniens staret
supra ubi erat puer. Viden-
tes autem stellam, gavis-
sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum
invenerunt puerum cum Maria matre eius; Et

qua supra habentur. Sigillatim essent omnia ex-
pendenda. Si visa stella tantum fuit gaudium,
quale putandum est, invento Pueri: qualis stu-
por, eo viso! qualis fides, eo adorato! qualis de-
votio, eo munerato tribus illis mysticis donis
quae referuntur! His te adijunge, primis ex Gen-
tilibus Regis Christi adoratoribus, ut simul
cum illis Regem tuum agnoscas, simul cum
illis fidei iuramentum praestes, aut renoves, ac
denique simul cum illis tua munera offeras.
Sic aptè sanctus Leo: *Agnoscamus in Magis a-
dicatoribus Christi, vocationis nostrae fidei, pri-
mitias; Et post pauca: Ac sicut illi de thesauris
suis mysticas Domino munerum species obtule-
runt, ita et nos de cordibus nostris, qua Deo sunt
digna, premamus.*

Serm. 2. de
Epiph.

Sunt quidem multa quae pro devotione
possis offerre, sed ex obligatione seu necessita-
te, tres sunt illi Concupiscentiae offerendae,
quae tribus Magorum muneribus designantur;
Auro videlicet Concupiscentia oculorum, seu
rerum habendarum cupiditas. Thure Concu-
piscentia superbiae, seu honorum mundi. Ac
denique Myrrha, Concupiscentia carnis seu
vo-

voluptatum. Dicitur porro esse obligatio seu necessitas huius triplicis Concupiscentiæ offerendæ, quia, ut habet veritas valde consideranda, Non nisi tribus hu oblati Concupiscentiæ, Rex Christus, re agnoscitur. Nihil enim gratius, nihil nobilius & ditius offeres, quia cum Christus Rex sit cordium, non aliter regnat in cordibus quam si hæ tres offerantur & submittantur ei Concupiscentiæ.

Ratio est manifesta quæ id demonstrat, nam ut regnet in cordibus nostris, utque re ipsa Rex agnoscatur, nos illi totos regendos sinere, & omnem in partem ducendos ultrò præstare debemus. Dixerunt servi Regis David ad eum, inquit Scriptura: *Omnia quaecumque præceperis Dominus noster Rex, libenter exequemur servi tui.* Hoc ipsum est dicendum & præstandum Regi Christo, qui vult servos voluntarios & subditos sibi libenter addictos. *Rex regum est, & Dominus dominantium,* etiam invitit & renitentibus nobis, Venietque tempus quo qui dixerunt, *Nolumus hunc regnare super nos,* illud audient, quod est in parabola, *verum tamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se adducite huc, & interficite ante me.* Sed interea nisi nos illi sinamus regendos, nos ille nobis sinet; nec re ipsa Rex noster erit, quia re ipsa non nos reget. Non enim aliter re ipsa Rex noster est, quàm si nos vere regat, neque te verà nos aliter regit, quàm si nos ei regendos permiserimus. Hinc patescit Regius, *Virga directionis, virga regni tui;* Quasi diceret, quantum est directionis exercitium, tantum est regnum; seu clarius, tantum te & actum regnat in nobis, quantum te & actum regit & dirigit, unde si tolles ejus directionem, tolles ejus regnum, & ex illis effes de quibus conqueritur: *Me abjecerunt, ne regnem super eos.* Velles ne id tibi dici?

SED non nisi tribus oblati Concupiscentiæ, re ipsa te illi regendum præbes. Nam quid est te illi regendum dare, nisi te tuaque omnia sic illi subicere, ut quicquid proferum extrâ vel intrâ, in animo vel in corpore prosperum vel adversum de te statuerit, & ordinavit, sic æquum bonum ducas, & tam libenter acceptes quàm qui dicebat, *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* At quomodo sic te illi universim in omnibus subicies, nisi his oblati & sublaris Concupiscentiæ, quæ tam directe opponuntur huic divinx sub-

jectioni, quàm caro spiritui, quàm appetitus Rationi, natura gratiæ, & veteri Adam illi Homini novo, *Qui secundum Deum creatus est in Iustitia & sanctitate veritatis?* Hæc enim sibi invicem adversantur, inquit Apostolus, *ut non quacumque vultis, illa faciatis, nisi eorum unum alteri submittatur;* Quod egregia similitudine paulo ante idem Apostolus representarat, cum de Ismaele persequente Isaacum diceret, *Quomodo tunc tu qui secundum carnem natus fuerat persequeretur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio libera.* Id est sic necessariò reprimenda est caro cum Concupiscentiæ, ut regnet Christus; Nam qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitio & concupiscentiæ.

Hoc manifeste patuit in illis invitatis ad Nuptias Regias, aut ad cœnam magnam, qui omnes noluerunt venire. Cur porro? quia videlicet unus villam emerat, alius quinque jugæ boum, & alius uxorem duxerat, quæ tria impedimenta tres complectuntur Concupiscentiæ, inquit S. Augustinus, quæ solent homines invocare à Christo Rege, quocumque eos vocet. At quæ so te, si invitatos ad cœnam & ad nuptias, concupiscentiæ retinent, quomodo putas retinebunt invitatos ad ferendas injurias, iacturam bonorum omnium, & alia quævis adversa, quibus tolerandis paratos esse oportet eos qui te regendos Christo præbent. *Quomodo in omnibus exhibebunt semetipsos sicut Christi ministros in multa patientia, per arma iustitiæ, à dextera & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, nisi eas subjecerint Concupiscentiæ, quæ dextra semper quærit, nunquam autem sinistra?*

III. PUNCTUM.

NON NISI ergo tribus oblati Concupiscentiæ, Rex Christus re, & facto agnosceatur. Quia non aliter revera in nobis regnat quàm nos regendo & ducendo quod ipse velit, neque nos aliter regit & quod vult ducit, nisi subiciantur ei Concupiscentiæ, quæ nos inde tam certò avocant, quàm ipse dæmon revocat, qui nisi per ipsas Concupiscentiæ in nobis Christo repugnat. *Hæc sunt videlicet et arma iniquitatis peccato, in quibus consistit fortis armatus custodie asatrium suum, qui a fortiori superveniente victus est, & a quo illa sublata sunt arma,*

2 Reg. 15.

Apost. 19.

Luc. 19.

Ps. 44.

2 Reg. 8.

2 Reg. 3.

Ephes. 4.

Galat. 5.

Ibid. 4.

Ibid. 5.

Matth. 22.

Luc. 14.

De Verb. Domini.

2 Cor. 6.

Rom. 6.

Luc. 11.

nc

ut est in parabola Evangelica. Quæ certe consideratio plurimum valere potest ad hanc perfectam triplicis concupiscentiæ oblationem, cum nisi eam Christo perfectè offeras & submittas, non modo non eum Regem habes, sed quod horrendum est dictu, illum tibi facis Regem qui Rex est super universos filios superbia, qui princeps huius mundi, & rector harum tenebrarum propterea dicitur, quia regnat in nobis per Concupiscentias, quæ faciunt tenebrosu hunc mundum, ut expresse affirmat S. Joannes.

Iob. 41.
Ephes. 6.
I. Ioan. 2.
Ioan. 18.
Coloss. 1.

Econtra vero Dominus, Regnum meum non est de hoc mundo; Non dicit, non est in hoc mundo, inquit S. Augustinus, sed non est de hoc mundo, de mundo enim est quidquid ex Adam vitiatæ stirpe generatur; factum est autem non jam de mundo quidquid inde in Christo est regeneratum unde Apostolus, eripuit nos de potestate tenebrarum & transfudit in regnum filij dilectionis suæ. Cum itaque unum & idem sit, esse de mundo, & secundam Concupiscentias vivere; Quàm verè regnum Christi non est de hoc mundo, tam verè non regnat in nobis, nisi repressis concupiscentiis.

O fortem & amabilem reprimendæ concupiscentiæ necessitatem, qua compellor aut negare Christum Regem, aut omnem illi subijcere Concupiscentiam! Quid hic statuas anime?

quid deliberes? quid proponas? Audi sanctum Bernardum ad illa verba, *Et regnabit in domo Iacob in æternum: QVIS ex nobis est qui iuxta* *Hom. 4.*
interpretationem nominis, Iacob, supplantet diabolum de corde suo; luclatur cum vitio & Concupiscentiis suis, ut non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Iesus, & nunc quidem per gratiam, & in æternum per gloriam? Beati in quibus: Iesus regnabit in æternum, quia & ipsi cum eo regnabunt. Et paucis interjectis, Veni interim Domine Iesu, aufer scandala de tuo regno, quod est anima mea, ut regnes tu qui debet in ea. Venit enim avaritia, & vendicat in me sedem: Iactantia cupit dominari mihi: superbia vult mihi esse Rex: Luxuria dicit, ego regnabam; ambitio, detractio, invidia, iracundia certant in me ipso, de me ipso, cuius ego potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo, resisto: renitor quantum juvor. Dominum meum Iesum reclamo; ipsi me defendo, quia ipse me jurâ agnosce: ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, & dico, Non habeo regem nisi Dominum Iesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabam in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus qui mandas salutes Iacob. *super Miss. sua. 98.*

Vide infra, Hebdomadam vigesimam quartam post Pentecosten, & Verbo, *Affidius, Christus, Concupiscentia.*

E O D E M D I E.

ALIA VERITAS PRÆCEDENTI CONNEXA.

Non à magno regno, Rex magnus, Christus ita est prædicandus, quam è magno Rege, magnum ejus regnum.

RATIO EST. Quia quod est dignitate & merito majus ac dignius, non tam prædicatur ab eo quod est minus & inferius, quam hoc vinum à majori.
Sed quantumcumque sit magnum Christi regnum, Christus est eo major & dignior.
Ergo non à magno regno Rex magnus, Christus ita est prædicandus, quam ab illo magno Rege, magnum ejus regnum est dicendum: unde illud etiam ad uberiorem præxim intelligitur, quam sit magnum & opportunum à tali Rege regi.

P R I M A propositio plana est, & facile demonstrabilis per universa ea corpora quæ ex partibus heterogeneis, atque inter se differentibus componuntur. Non tam aurum à plumbo vel à quovis metallo cui permiscetur, dignitatem & commendationem haurit, quam ab auro plumbum. Non tam à conchyli unio, seu margaritum, quam à margarito conchyle commendabitur. Exornet animum qualecunque corpus, longè tam ab animo, magis corpus exornatur; & quæcunque